

## Canis mordax.

**C**ani mordaci, ut omnes cavere illum possent, pater familiâs jussérat tintinnabulum appendi ex ære parvulum. Hoc ille, quasi præmio virtutis suæ, admodum superbire, & alios canes præ se contemnere. Cui unus senior, Heus tu, inquit, an nescis indicari pravitatem morum tuorum tinnitu isto, non ornari ære corpus?

Coercet fabula stulticiam vulgi, quod sæpe placet sibi notis & insignibus flagitiorum suorum.

## Camelus.

**C**amelus repanda à Jove petebat, ut eornibus armatur. Cujus ille stolidis precibus irrisis, etiam aures mutilavit, ut non solum inermis sed etiam deformis de cætero esset.

Monet fabula, ineptis precibus deos non esse fatigandos.

## Ursi præceptum.

**M**agnus erat inter duos familiaritatis & necessitudinis usus, ut in summâ coniunctione voluntatum atq; studiorum vivere viderentur, operasq; darent inter se mutuas, & alter alteri gratificaretur. Accidit, iter ut quodam tempore commnniter ambobus faciendum esset, cumq; transirent quasdam solitudines, in ursum ingentem inciderunt: quo viso, unus celeriter in arborem evasit, alter ab urso oppressus, cum audisset illam feram undavera non attingere, in terram se prostravit, & attra-